

auctoritate nobis per dictum dominum Nicolaum, concessa procuratorio nomine et pro parte ipsius dedimus et per fustem tradidimus et assignavimus eidem Ecclesie, ac dompno Nicolao et dompno Guillelmo Cantoribus eiusdem Ecclesie nomine et pro parte ipsius Ecclesie, domos tres quas dictus dominus Nicolaus tenebat et possidebat intus in predicta civitate Baroli, unam scilicet cum uno Casili, sistente iuxta ipsam domum in pictagio Sancte Marie, iuxta fundicum Curie, iuxta domum france de domino Rogerio, et iuxta vias. Aliam domum in pictagio predicto iuxta domum quondam Sire Madii et iuxta viam in pendino scilicet Santi Salvatoris, et aliam in eodem pictagio iuxta domum Pascalis de prothomagistro, iuxta domum hospitalis et iuxta vias, et si qui alii sunt confines, prout in quodam scripto puplico quod eidem Ecclesie de assignatione et traditione ipsa fieri fecimus plenius continetur. Verum quia in assignacione et traditione domorum ipsarum predicti domini Reservavimus ut quandocumque prefatus dominus Nicolaus vel heredes sui emerint tradiderint et assignaverint seu assignari voluerint, alias possessiones valoris unciarum auri Centum, vel uncias auri Centum pro emendis possessionibus ipsis, pene aliquem probum virum deposuerint. Liceat eis predictas domos tres cum dicto Casili auctoritate propria ad manus eorum proprietatem et dominium libere revocare, certa suadente causa pro indemnitate predicti domini Nicolai domos ipsas nomine et pro parte sua a predictis cantoribus et Capitulo dicte Ecclesie duximus conducendas, tenendas et percipiendas pro parte dicti domini, eiusdem condicionis titulo, quem diu prefatus dominus Nicolaus vel heredes sui domos ipsas modo quo prescribitur revocabunt. Cui quidem Capitulo nomine et pro parte predicti domini pro annuo Redditu domorum ipsarum dare convenimus uncias auri Octo ponderis generalis. Vos igitur ex parte dicti domini commissa nobis auctoritate Requirimus, quatinus domos ipsas una cum aliis bonis domini Nicolai prefati procurare ac redditus et proventus ex eis percipere pro parte dicti domini procuretis. Et tam tu presens procurator pro presenti anno ac die scilicet data presencium in antea, id quod predictum Capitulum de predictis annuis unciis Octo pro rata continget, et deinde singulis annis tuo durante officio, quod vos alii successive futuri quilibet scilicet sui officii tempore anno quolibet quamdiu modo prescripto predictus dominus vel heredes sui predictas domos et Casile ad eorum proprietatem et dominium Revocabunt uncias Octo in Karolenis argenti sexaginta per unciam computandis vel alia pecunia que per Regnum generaliter expenditur, de quacumque pecunia dicti domini que erit per manus vestras dicti officii Racione, Memorato Capitulo auctoritate presencium sine difficultate solvatis, apodixam exinde singulis vicibus Recepturi per vos vestri Raciocinii tempore producendas. Unde ad futuram Memoriam et Capituli memorati Cautelam presentes patentes licteras nostras sibi exinde fieri fecimus nostris sigillo et subscriptione Munitas, quas postquam eas quilibet vestrum inspexerit earumque transumptum in puplicam formam receperit pro Cautela restitui volumus presentantes, vim et vigorem similem quousque Revocatio ipsa fiat, apud vestrum singulos obtenturas. Scriptum Baroli vicesimo quinto die Mensis Iunii. Quinte decime Indicionis.

† Riccardus pirontus de Cidoniola qui supra sigillavi et subscripsi.

*Segue il sigillo di cera rossa assai ben conservato e che è così composto:*

*Ruota:* † Sigillum Riccardi Pironti de Cidoniola.

*Centro:* Animale che regge un albero con frutti.